



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

***NUNTIUS DATUS
LITUANIAE EPISCOPATUI***

Die XII mensis Aprilis, anno Domini MCMXC

Appropinquantibus iam paschalibus celebrationibus intus in animo cupio testificar tibi, Venerabilis Frater Noster, omnique simul Lituaniae Episcopatus plenam vobiscum coniunctionem meam in Domino Resuscitato a quo lucis, gratiae, salutis dona vobis postulo.

Hoc tempore sollicitudinis ac spei proximus ego adsum Ecclesiae Lituaniae quae per saecula et aetates integram servavit fidem sui Baptismi, ac particeps facta omnium populi sui eventuum, evasit provida custos et firmamentum illorum religiosorum, moralium, culturalium bonorum, quibus christiana radix ipsaque Nationis propria indoles constat.

Amantissima haec mea cura nobilem vestrum populum pariter amplexatur cuius optatis et desideriis magis affinis egomet sum quam alias umquam, praesertim his Paschatis diebus.

Dilectae Nationis vestrae sortem futuram precans ego committo Deo Omnipotenti cuius Providentia vitam singulorum hominum populorumque gubernat. Pro vobis etiam deprecatur Deum Beatissima Virgo Maria honorata et invocata ad Portam Aurorae Vilnensem suavissimo nomine Matris Misericordiae necnon Patronus vester Sanctus Casimirus.

Apostolicam meam vobis Benedictionem impertiens.

IOANNES PAULUS PP. II

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana